

V. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Recte in ea verba Psalmi (CXV, v. 12) magno affectu erumpit Sacerdos, quia hoc Sacramentum est summum bonum, in quo omnia bona continentur.

Et postea, Calicem pro Sanguinis sumptione accipiens, respondens quasi interrogationi modo factæ, continuat ejusdem Psalmi versum (CXV, v. 13) : *Calicem salutaris* (id est : Calicem salutis ; vel : Calicem gratiarum actionis pro bono mihi præstito) *accipiam et nomen Domini invocabo* ; et adjungit alterius Psalmi versum (XVII, v. 4) *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.*

Simili formula, similique ritu sumitur Sanguis, quibus modo Christi Corpus fuit sumptum.

Postea, juxta antiquam disciplinam, et juxta quod optat Synodus Tridentina (Sessio XXII, Caput VI), et notat Missale, atque Rituale Romanum, si qui sint communicandi, eos communicat Sacerdos. — De Communione fidelium intra Missam fuse agitur in Tractatu de administratione Sacramentorum, QQ. 191 ad 199 : de ritu olim servato dicitur ibidem, Q. 190.

VI. *Quod ore sumpsimus, etc.* Hæc Oratio sapit antiquitatem ; quæ in ea petuntur, in postulatione non paucarum Postcommunionum alio dicendi modo exprimuntur. Unica ipsa est ex variis Orationibus quæ ad Communionem præscribuntur, quæ in numero plurali, nomine omnium, dicitur, et supponit Communionem adstantium.

VII. *Corpus tuum, Domine, etc.* Alloquitur Dominum Iesum Sacerdos, in cuius dulcissimo amplexu hæret, et petit ut dona percepta in ipso maneant, et adhaerent quasi visceribus spiritualibus animæ : et simul, ut vas sacramentum cordis sui purum possit servare ab omni macula.

Q. 192. Da rationem Antiphonæ quæ **Communio vocatur.**

R. Interea dum populo Eucharistia distribuebatur, vetustis temporibus, usque ad sæculum circiter XI, cantabatur aliquis Psalmus cum sua Antiphona ante et post, ut tam sacra actio personante Dei laude perficeretur ; cessante vero sensim populi Communione intra

Missam, omissus fuit cantus Psalmi, et sola Antiphona ad Communionem servata fuit, quæ **Communio** vocatur. **Communio** nunc est versiculus, plerumque ex Psalmis, aliquando ex alio Scripturæ Sacræ loco depromptus, interdum etiam pia aliqua sententia Ecclesiasticæ compositionis, inserviens præcipue ad affectum Communioni congruentem excitandum.

Hodie cantatur a Choro post sumptionem Sanguinis ; a Sacerdote vero legitur postquam omnia quæ ad Communionem pertinent peracta sunt.

Toto tempore Paschali ad versum Communionis unum additur, nisi jam habeatur, *Alleluja*, in omnibus Missis quæ non sunt de *Requiem*.

CAPUT XI

DE POSTCOMMUNIONE, ET DE MISSÆ CONCLUSIONE

Q. 193. *Quid est Postcommunio ? Quo ritu dicuntur Postcommuniones ?*

R. I. Nomen *Postcommunionis* datum fuit Orationibus quæ proxime post peractam totaliter Communionem recitantur, ad Deo gratias agendas, quod tantorum Mysteriorum benigne voluerit nos esse participes, et ad gratias a Deo postulandas, ut nos Sacrificii fructum, et quidquid in nobis sanctificationem operari potest, conservemus.

Vocatur Postcommunio in antiquis codicibus etiam *Complenda*, seu *Oratio ad complendum*, hoc est, Oratio qua res tota finitur ; item *Gratiarum actio* : « *Participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit* », ait S. Augustinus. (Epist. 59, ad Paulinum.)

Ipsas Orationes Postcommunionis pro omnibus communicantibus institutas fuisse, patet ex earum tenore ; quamvis autem mos ille adstantium Communionis in Missa desiit, nihil tamen in his Orationibus mutatum fuit ; sed ideo retentæ sunt, ut sciamus, quid olim factum sit, et ex ipso precationum tenore ad pristinum fervorem excitemur.

II. Celebrans pro Postcommunione primo salutat

176 (Q. 194, 195) De dimissione populi

populum, verbis : *Dominus vobiscum*, eumque, accepto consueto populi responso, ad gratiarum actionem invitat, verbo *Oremus*. (Cfr. Q. 67.)

Ceterum, quæcumque dicta fuerunt de Orationibus ante Epistolam, in praecedenti Capite IV, scilicet de earum structura, numero, ordine, conclusione, et mutatione, hic applicanda sunt Postcommunionibus.

NOTA. De Oratione speciali, quæ additur in quibusdam Missis tempore Quadragesimæ et Passionis, dictis omnibus Postcommunionibus, et quæ vocatur Oratio « **super populum** », dictum fuit in Nota 3^a ad resonsum Quæstionis 112.

Q. 194. *Da rationem ultimæ salutationis Celebrantis.*

R. Finitis Postcommunionibus, Celebrans, quemadmodum ad Missæ initium salutato populo introivit ad Altare Dei, ita etiam nunc, ad finem Sacrificii, eadem salutatione valedicit fidelibus, dicendo : *Dominus vobiscum* ; et simul resalutatur ab ipsis, in mutuam valedictionem, per verba : *Et cum spiritu tuo*. (Cfr. Q. 67.)

Q. 195. *Quid notandum est de institutione ritus dimittendi populum post Sacrificium ?*

R. I. Post ultimam salutationem, fideles dimituntur verbis : *Ite missa est*, quæ significant : Licet vobis abiire, nam fit missa, scilicet dimissio. (Cfr. QQ. 3 et 4.) — De priori dimissione, nempe Catechumenorum, expleta priori Missæ parte, dictum fuit QQ. 4 et 141.

Hæc fidelium dimissio, sicut et prior Catechumenorum, a primis temporibus consuevit fieri a Diacono, qui ideo se vertebat ad populum ; hodie in Missis solemnibus etiamnum Diaconi munus hoc est ; in Missis vero quæ celebrantur sine Ministris sacris, ipse Sacerdos ad populum se convertit, eumque de discessu monet.

II. Usque ad sæculum XI, hæc formula usuvenit in omnibus Missis ; sed ab eo tempore, quibusdam diebus cœpit dici : *Benedicamus Domino*, loco : *Ite missa est* ; scilicet, quando populus, peracto Sacrificio, non statim abibat, sed in ecclesia permanebat, donec sequentes Horæ canonicae erant absolutæ ; admonebantur itaque fideles hac formula ne discedant, sed maneant, atque

De dimissione populi (Q. 196) 177

cum clero ulterius Dominum benedicant. Profert Diaconus, vel Celebrans verba hæc conversus ad Altare, scilicet ad Dominum, ad quem benedicendum manere vult populum.

Tam ad *Ite missa est*, quam ad *Benedicamus Domino*, Minister, vel Chorus, nomine populi, respondet : *Deo gratias*, ut sacra Actio cum gratiarum actione absolvatur.

III. In Missis de *Requiem* etiam non dimititur populus, sed dicitur, versus Altare : *Requiescant in pace*, cui respondet : *Amen*. Scribit Belethus, auctor sæculi XII, quod ex consuetudine generali ita jam suo tempore fiebat ; vel quia tota Missa de *Requiem* in eo est ut defunctis a Deo quietem impetrat ; vel quia post hujusmodi Missam non erat dimittendus populus, qui manebat ad sepulturam defuncti, aut ad absolutionem super tumulum faciendam.

Q. 196. *Quid præscribunt hodie Rubricæ de ritu dimissione populi ?*

R. I. Dicitur *Ite missa est* in omnibus Missis in quibus dictus fuit Hymnus *Gloria in excelsis Deo* ; Missæ istæ recensentur in responso ad Q. 61, de Hymno *Gloria in excelsis Deo*. Respondet : *Deo gratias*.

A Missa Sabbati sancti usque ad Sabbathum in Albis inclusive, adduntur duo *Alleluja*, tum ad *Ite missa est*, tum ad resonsum *Deo gratias*. Hoc autem non amplius fit in Missa Dominicæ in Albis.

II. In Missis in quibus non dicitur Hymnus *Gloria in excelsis Deo*, et quæ non sunt de *Requiem*, loco *Ite missa est*, dicitur : *Benedicamus Domino*, et respondet : *Deo gratias*.

III. In Missis de *Requiem*, dicitur semper : *Requiescant in pace*, et respondet : *Amen*. Dicitur hoc semper in plurali, etiamsi pro uno tantum defuncto Missa fuisse celebrata. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Januarii 1678, n. 1611, antiq. 2858.)

NOTA. I. In Missa solemnii Diaconus cantat : *Ite missa est*, et Celebrans hoc non dicit, quia hæc verba sunt monitio ad populum de discessu, quam, dum a Diacono cantatur, Celebrantem etiam dicere supervacaneum esset ; ast, cum Diaconus in Missa solemnii

178 (Q. 197, 198) De Benedictione

cantat : *Benedicamus Domino*, vel : *Requiescant in pace*, etiam ipse Celebrans debet eadem dicere submissa voce, ad Altare conversus, ut declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 22; antiq. 4526, ad 36); ratio est, quia hæc verba non sunt monitio ad populum de discessu, sed monitio ad laudem Dei, vel vera ad Deum oratio.

NOTA. II. In Missali describuntur, pro Missarum qualitate, sex diversi Toni pro cantu *Ite missa est*, et quinque diversi Toni pro cantu *Benedicamus Domino*, necnon Tonus unicus pro cantu *Requiescant in pace*. Diversi isti Toni, et regulæ pro eorum cantu describuntur et exponuntur in Tractatu : *Cæremoniale*, in Appendix II, n. XI.

Notare speciatim hic placet, quod istæ diversæ modulationes de præcepto servari debent prout jacent in Missali, et mutari non possunt. (Decret. S. Rituum Congregationis 14 Martii 1896, n. 3891.)

Tonus descriptus pro Missis B. Mariæ cantari debet, non solum in Missis B. Mariæ Virginis, sed et quoties Præfatio de Nativitate Domini dicenda est. (Decret. 25 Maii 1877, n. 3421, antiq. 5694, in fine ad 1, 2, 3.)

Q. 197. Quid de Oratione « Placeat, etc. » notandum est?

R. Oratio *Placeat tibi, sancta Trinitas, etc.*, in pluribus reperitur Sacramentariis post sæculum IX scriptis; dicebatur primitus a Celebrante tamquam oratio privata, dum discedebat ab Altari; S. Pius V, in reformatione Missalis, anno 1570, statuit ut ab omnibus diceretur ad Altare, post populi dimissionem.

Eam Sacerdos secreto recitat : est enim peculiaris et propria ipsius Sacerdotis solius oratio; eamque dicit inclinatus ad Altare, siquidem ad Sanctissimam Trinitatem dirigitur. Osculatur postea Altare, quia Christus in conclusione Orationis nominatur.

Q. 198. Quæ notanda sunt de institutione Benedictionis in fine Missæ, et de ratione quare fuerit instituta?

R. I. Antiqui Ordines Romani testantur, quod primis sæculis Romanus Pontifex, peracto Sacrificio, non ad Altare, sed in sacrario benedicebat diversos ordines clericorum qui in Sacrificio ministraverant.

De Benedictione (Q. 199) 179

Ante sæculum X, in ipsa Missa Benedictio aliqua dari consuevit post fractionem sacræ Hostiæ (cfr. Q. 186), vel ante Communionem.

Qualiter olim in fine Missæ fuerit data Benedictio, et quodnam ejusdem hodie remanet vestigium, nempe in Oratione super populum in Missis Feriarum Quadragesimæ dicta, vide in Nota III ad Q. 112.

De Benedictione, qualis hodie datur in fine Missæ ad Altare, nullum testimonium exstat ante sæculum X; a quo tempore multi Episcopi cœperunt in fine Missæ benedicere adstantes, et mox, circa sæculum XI, sensim inductus fuit usus, ut quilibet Sacerdos, sub exitu Missæ, populo benediceret; qui usus in tantum placuit, et crevit, ut Micrologus, sæculo XI, jam testetur, hanc Benedictionem absque gravi scandalo non posse suo tempore omitti.

II. Ratio hujus Benedictionis a quibusdam scriptoribus datur, ut qui in Missa Communionem non suscepserant, saltem non sine Benedictione discederent. Congrua ratio datur etiam sequens : quemadmodum Christus Dominus, ad cœlum ascensurus, antequam discipulos relinqueret, « elevatis manibus suis benedixit eis » (Lucas, Cap. XXIV, §. 50), ita Celebrans, qui in hoc Sacramento memoriam Dominicæ Ascensionis non semel recoluit (cfr. QQ. 150, VII; et 176, I), antequam fidèles relinquat, et ab eis discedat, prius illis benedit.

Q. 199. Quis fuit olim, et quis hodie est ritus Benedictionis?

R. Cum ritus Benedictionis in fine Missæ cœpit usum venire, variae adhibitæ fuerunt formulæ; et quisque Sacerdos tribus signis Crucis, sicut hodie Episcopus, benedicebat, signum Crucis efformans ad nomen uniuscujusque personæ SS. Trinitatis. S. Pius V, in reformatione Missalis, anno 1570 (cfr. Q. 27), statuit formulam quam hodie dicimus ab omnibus esse dicendam; insuper prohibuit Sacerdotibus tribus signis Crucis benedicere in Missis privatis; et Clemens VIII, in recognitione Missalis, anno 1604 (cfr. Q. 30), id quoque ipsis prohibuit in Missis solemnibus; unde Rubrica in Ordine Missæ præscribit Sacerdoti, ut dicat : *Pater, et*

Filius, ✕ et Spiritus sanctus, « semel tantum benedicens, etiam in Missis solemnibus ».

NOTA. I. Clemens VIII determinavit ritum Benedictionis, tum pro Sacerdotibus, ut supra dictum fuit, tum pro Episcopis. Episcopus semper benedit more Episcopali, dicens prius duos versiculos, nempe : ¶. *Sit nomen Domini benedictum.* ¶. *Ex hoc nunc et usque in sæculum;* ¶. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ¶. *Qui fecit cælum et terram;* deinde dicit : *Benedicat vos etc.,* ter benedicens. In Missa privata non utitur baculo; nec mitra (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899, n. 4035, ad 3); nec etiam, si sit Archiepiscopus, Cruce; in Missa Pontificali Episcopus utitur baculo, et mitra; Archiepiscopus vero, quia Crux ante ipsum benedicentem tenetur, utitur quidem baculo, sed non mitra.

II. Si Sacerdos celebravit coram Cardinali ubique, vel Archiepiscopo in sua provincia, vel Episcopo in sua Diocesi, postquam dixit : *Benedicat vos omnipotens Deus,* convertens se ad hujusmodi Prælatum, caput inclinat, quasi licentiam benedicendi petens, et tunc prosequitur : *Pater et Filius, ✕ et Spiritus sanctus,* benedicens adstantes a parte ubi non adest Prælatus. Hæc prætermittuntur coram Archiepiscopo extra suam provinciam, et Episcopo extra suam Diocesim.

Q. 200. *In quibus Missis datur Benedictio, in quibus non?*

R. Benedictio datur in omnibus Missis quæ non sunt de *Requiem*; in Missis de *Requiem* non datur, sed, dicta Oratione : *Placeat etc.,* Sacerdos osculatur Altare, et statim accedit ad cornu Evangelii, ad legendum Initium Evangelii S. Joannis.

Olim in Missis de *Requiem* impertiebatur quoque Benedictio populo, cum hac formula : *Deus vita vivorum, et resurrectio mortuorum, benedicat vos in sæcula sæculorum. Amen.* Inde a sæculo XVI, prætermititur in Missis de *Requiem* Benedictio; vel quia in his Missis omittuntur quæcumque solemnitatem aliquam, vel lætitiam præ se ferre videntur; vel ut indicetur benedictionem, seu fructus Missæ præcipue defunctis applicari.

Q. 201. *Quare legitur in fine Missæ pericopa Evangelii S. Joannis? Quando incepit usus legendi hoc Evangelium, et quid de eo postea fuit statutum? Quis est ritus ejus lectionis?*

R. I. Summa omni tempore fuit æstimatio prologi Evangelii S. Joannis; est namque veluti cumpendium præcipuorum fidei nostræ Mysteriorum : SS. Trinitatis, Creationis mundi, Divinitatis, et Incarnationis

Christi; ideo in variis circumstantiis illud legi statuit Ecclesia: in visitatione infirmorum, in conjurationibus contra dæmonem. Et quia præterea continet sumمام omnium bonorum, quæ per Christi Sacrificium accepimus, et in Christo possidemus, qui est fons vitæ, lux mundi, plenus gratiæ et veritatis, ideo etiam cœpit dici, et nunc dicitur tamquam ultima Sacrificii Missæ conclusio.

II. Medio ævo incipit usus legendi hoc Evangelium, et primitus dicebatur ad libitum Celebrantis. Sæculo XIII generatim jam omnes Sacerdotes illud dicebant, sed alii ad Altare, alii in recessu ab Altâri, alii in sacramento, ante vel post sacrarum vestium depositionem.

S. Pius V, in reformatione Missalis, sancivit usum, et mandavit ut omnes illud dicerent ad Altare.

III. In eo dicendo non usuvenit præparatio, nec solemnitas quæ pro Evangelio in Missa præscribitur; legitur solum, et numquam cantatur; quia est tamquam privata oratio.

Ad verba : *Et verbum caro factum est,* genuflectit Sacerdos, sicut genuflexit in Symbolo ad verba : *Et incarnatus.... homo factus est;* ut veneretur Incarnationis Mysterium, et etiam ut exemplo Filii Dei humiliet se homo.

In fine dicitur : *Deo gratias,* ut Sacrificium, nunc jam omnino completum, desinat in gratiarum actionem : « *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.* » (II ad Corinth. Cap. IX, ¶. 15.)

Q. 202. *Quid statuunt Rubricæ de ultimo Evangelio in Missa?*

R. Ut supra dictum fuit, S. Pius V mandavit ultimum Evangelium in fine Missæ ab omnibus esse dicendum; ipse autem etiam statuit, quod aliquando, loco Initii Evangelii S. Joannis, aliud diceretur Evangelium; de quo sequentes ex Rubricis generalibus Missalis (Tit. XIII, n. 2) depromuntur regulæ.

In Missis votivis, quibusdam exceptis, et in Missis de *Requiem*, semper pro ultimo Evangelio dicitur Initium Evangelii S. Joannis.

In Missis quæ Officio conformes sunt, regulariter

etiam dicitur idem Initium ; attamen sequentes habentur exceptions :

1º In tertia Missa in die Nativitatis Domini, in fine legitur Evangelium de Epiphania ; et in Dominica Palmarum, in omnibus Missis quibus non præmittitur Benedictio Palmarum, in fine legitur Evangelium quod ponitur in Missali pro ipsa Palmarum Benedictione.

2º In omnibus Missis Festorum, quando dicuntur in Dominica, aut in Feria majori, aut in Vigilia (quia habent istæ Evangelium proprium, cuius Homilia dicta fuit pro nona Lectione in Matutino Festi quod celebratur), pro ultimo Evangelio dicitur Evangelium hujus Dominicæ, aut Feriæ, aut Vigiliæ.

Plura exempla occurunt quotannis in Directorio in Dominicis communibus, in Feriis Quadragesimæ, in Vigiliis ; quando in ipsis celebrantur Festa, notatur enim in his casibus semper, quod dicitur in fine Evangelium Dominicæ, vel Feriæ, vel Vigiliæ.

NOTA. Dicitur in secunda exceptione : *in omnibus Missis Festorum* ; idem dicendum est de diebus Octavis Festorum ; sed non extenditur exceptio ad Missam de die *infra Octavam* communem ; occurrente enim die *infra Octavam* communem in aliqua Vigilia, aut Feria Quatuor Temporum, aut Feria II Rogationum, specialis habetur in Rubricis dispositio Officii et Missæ : nam Officium quidem fit de die *infra Octavam*, cum nona Lectione de Homilia Vigiliæ aut Feriæ majoris in Matutino : Missa autem dicitur de Vigilia, aut Feria, cum Commemoratione diei *infra Octavam*, et in ejus fine dicitur pro ultimo Evangelio Initium Evangelii S. Joannis.

Exemplum datur 14 Augusti, in Vigilia Assumptionis B. Mariæ V., occurrente die *infra Octavam* S. Laurentii, Martyris ; in Directorio ordinantur Officium et Missa, ut supra exponitur.

Aliquando etiam in Missis Festorum dicitur ultimum Evangelium de Vigilia, etiamsi in Officio Festi nihil de eadem Vigilia fuerit factum ; ex. gr., in Adventu.

Exemplum habetur 7 Decembris, in Vigilia Immaculatæ Conceptionis B. Marie V. ; celebrato eadem die Festo occurrente S. Ambrosii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, in Officio hujus Festi nihil fit de Vigilia ; sed in Missa Festi fit Vigiliæ Commemoratio, et dicitur in fine Vigiliæ Evangelium. (Cfr. Rubrica generales Missalis, Tit. III.)

Q. 203. Quæ notanda sunt de gratiarum actione post Missam ?

R. I. Missale præscribit Sacerdoti ut discedens ab

Altari, pro gratiarum actione dicat Antiphonam : *Trium puerorum etc.*, et Canticum : *Benedicite omnia opera etc.*, cum Psalmo CL : *Laudate Dominum etc.*, additis versiculis aliquot, et tribus Orationibus. (Cfr. Ordo Missæ, et Ritus celebrandi Missam, Tit. XII, n. 6.)

Antiphona *Trium puerorum*, in Festis duplicibus tantum duplicatur ; et Tempore Paschali in fine additur *Alleluja*, etiamsi Missa dicta fuerit de *Requiem*.

Alias Orationes adjungere non omittet Sacerdos, sed ad libitum suum eas eligere potest. Statuta Diœcesana præscribunt, ut « post Missam permaneat in pia gratiarum actione, etiam per horæ quadrantem producenda, nisi forte urgentes charitatis vel muneris curæ impellant ». (Statuta, n. 325.)

II. Quæ a Missali præscribitur supradicta gratiarum actio, jam præscripta reperitur in monumentis liturgicis sæculi XI, excepta ultima Oratione S. Laurentii, quæ Romæ sæculo XV tantum addita fuit.

Canticum trium puerorum, quo omnes creaturæ ad benedicendum Deo invitantur, pro gratiarum actione aptissimum esse nemo non videt ; apud auctores mediæ ævi commendatur ut hymnus « omnibus laudibus laudabilius, et Deo præ omnibus amabilior, — melle et favo dulcior, — hymnus hymnorum, in quo succincte et affatim melius quam in omnibus laudatur Deus. » (Alcuinus († 804), *de Psalmorum usu*, p. 1, n. 12.)

Prima ex tribus Orationibus : *Deus, qui tribus pueris etc.*, ea est quæ in omnibus Sabbatis Quatuor Temporum, post historiam trium puerorum, dicitur in Missa, ante Ordinationem, conjunctim cum Oratione pro ordinandis ; in ea petitur cupidatum et vitiorum restinctio ; hanc quotidie dicens Sacerdos memor erit sui muneric, suæque consecrationis.

Secunda : *Actiones nostras etc.*, desumitur ex Orationibus quæ dicuntur post Litanias Omnis Sanctorum ; per eam petimus ut in bona dispositione, qua incepimus Actionem sanctissimam, per diem et perpetuo remaneamus.

Tertia : *Da nobis, quæsumus etc.*, ea est quæ dicitur in Festo S. Laurentii, in Officio et Missa (10 Augusti) ; in Romanis libris primo reperitur aliis duabus addita,

ut supra dictum fuit, sæculo XV; idque putatur factum, vel quia S. Laurentii cultus celeberrimus fuit semper Romæ (vocabatur quidem hic Sanctus SS. Apostolorum Petri et Pauli suppar), vel quia tanti Sacrificii egregius fuit minister, vel quia petitio hujus Orationis concordat cum ea quæ prima dicitur, petitur enim gratia contra flamas vitiorum et cupiditatum.

III. Summus Pontifex Leo XIII, die 20 Decembris 1884, concessit Sacerdotibus Indulgentiam unius anni, pro recitatione, post Missæ celebrationem, Cantici *Benedicite*, et Psalmi *Laudate*, cum Versiculis et tribus Orationibus adnexis, necnon duarum Orationum in Missali descriptarum, quarum altera est S. Thomæ Aquinatis, et incipit: *Gratias tibi ago, etc.*, altera vero S. Bonaventuræ, et incipit: *Transfige, dulcissime etc.*

Idem Summus Pontifex, eadem die, varias Indulgentias concessit, pro recitatione, a Sacerdotibus facta, plurium precum et Orationum, tum ante, tum post Missæ celebrationem.

(Cfr. Rescriptum concessionis, et textum precum et Orationum a S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita exhibitum, apud *Acta Sanctæ Sedis*, Volumen XVII, 1884, pag. 403-416. Cfr. etiam *Manuale Clericorum*, usui alumnorum Seminarii Mæchliniensis destinatum.)

O quam magnum et honorabile est officium Sacerdotum, quibus datum est Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, et cæteris ministrare!

Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut, qui officium sacerdotale suscepimus, digne ac devote tibi in omni puritate et conscientia bona famulari valeamus.

(De Imitatione Christi. Liber IV, Caput XI, nn. 6, 8.)

SECTIO II

De Missis quæ Officio non sunt conformes

CAPUT I

DE MISSIS VOTIVIS

NOTIONES PRÆVIAE

DE DEFINITIONE ET VARIIS GENERIBUS MISSARUM VOTIVARUM

Q. 204. Quæ Missa vocatur Votiva?

R. Missa Votiva ea sola hic intelligitur, quæ, ex voluntate vel voluntate, sive Sacerdotis Missam celebrantis, sive ejus qui ipsam celebrari præscribit, aut permittit, aut petit, non correspondet Horis canonicas, a Sacerdote qui hujusmodi Missam celebrat, eadem die recitatis juxta Kalendarium seu Directorium Diocesanum aut particolare. Excipitur tamen Missa de *Requiem*.

NOTA. I. Ex data definitione sequeretur Missas de *Requiem* etiam esse Votivas; sunt equidem, sed cum istæ Missæ habeant suas regulas speciales, omnino distinctas a regulis Missarum Votivarum, de quibus nunc studium instituitur, excluduntur in fine datæ definitionis.

NOTA. II. Non sunt Missæ Votivæ stricte sumptæ illæ quæ celebrantur conformes Officiis Votivis, concessis Indulcio Apostolico 5 Julii 1883, pro singulis Hebdomadæ diebus liberis (cfr. Q. 41); modo Sacerdotes has Missas celebrantes Officia Votiva respectiva recitaverint, ut postea latius dicetur. (Cfr. Q. 226, Nota II.) Inscriptur tamen in Missali Ramano « Missæ Votivæ » eo scilicet sensu, quod, sicuti « Officia Votiva » quibus correspondent, ita et ipsæ non sunt Missæ propriæ eorum in quibus dicuntur dierum anni ecclesiastici; vel, quod sunt Missæ propriæ Officiorum Votivorum.

Q. 205. Quotuplici ratione, et quomodo distinguuntur Missæ Votivæ?

R. I. Missæ Votivæ dupli ratione distingui possunt:
1º Ratione objecti, de quo aliqua Missa Votiva celebratur; 2º ratione solemnitatis intrinsecæ.